

EXCELLENTISSIMO VIRO

D. D. SAID PASCHA, ROMANIÆ PRÆFECTO

ET POTENTISSIMI, AC INVICTISSIMI TURCARUM IMPERATORIS,

APUD CHRISTIANISSIMUM REGEM

LEGATO EXTRAORDINARIO.

QUÆSTIO MEDICA.

EXTRAORDINARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Veneris octavâ Junii, M. DCC. XLII.

M. ELIA COL DE VILARS, Regis Conſiliario, & in ejus Caſtelleto Medico ordinario, Facultatis Decano, Præſide.

An ſanitatem inter & morbum detur ſtatus medius?

I.



CORPORUM elementa ad materiam, & formam ultimò reducas. Hæc in diverſis, diverſa, illa homogenea concipitur. Materiam atomi conſtituunt indiviſibiles. (*a*) Δημόκριτος ϗ Λεύκιππος, ἐκ σωμάτων ἀδιαιρέτων τἄλλα συγκεῖσθαί φασι: forma in harum diſpoſitione, nexu, ac ſitu ad invicem conſiſtit. Mutentur hæc, corpus corrumpitur; accedant nova, novum generatur. (*b*) Ἔστιν ἡ θατέρου γένεσις ἀεὶ ἐπὶ τῶν οὐσιῶν ἄλλου φθορά, ϗ ἡ ἄλλου φθορὰ ἄλλου

(*a*) Ariſ. de genera. & corrup. lib 1. cap. 1. Democritus autem, & Leucippus, ex indiviſibilibus corporibus, cætera oriri dicunt.

(*b*) Ariſ. ibidem. lib. 1. cap. 3. In ſubſtantiis ſemper unius generatio, eſt alterius corruptio, & unius corruptio, generatio alterius.

γένεσις. (c) Ἐκ πυρὸς ἀὴρ, ἐξ ἀέρος ὕδωρ, ἐξ ὕδατος γῆ, καὶ ἐκ γῆς πῦρ. Fiunt hæc duplici motu verè mechanico; generat hic, ille corrumpit; alter alteri contrarius. (d) Τὸ γὰρ ἀλλοιοῦν, καὶ μετασχηματίζον κινητικὸν αἰτία τοῦ γενᾶν. Corpus humanum, (e) εὐπρεπέστατον τοῦ Θεοῦ τέχνασμα, infinitis mutationibus ſubjicitur. Elementa ſeminis, in humoribus genitoris contenta, per arterias ſpermaticas, & corpora pyramidalia pampiniformia ad teſtes ducuntur, elaborata in vermes, Μικροκόσμου rudimenta mutantur. Hoc ſemen humanum, teſtibus ſecretum, ad epididymida per ductus higmorianos tranſmittitur, in veſiculis ſeminalibus, ad deferentium vaſorum extrema poſitis, congerendum. (f) ἡ γονὴ τοῦ ἀνδρὸς ἔρχεται ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ, τοῦ ἐν τῷ σώματι ἐόντος, τὸ ἰσχυρότατον ἀποκριθέν. Donec orgaſmo aphrodiſiaco in urethram propulſum, proſtatarum humore dilutum, in uterum jaculetur. Hujus papillas nerveas per vaginam diſſeminatas penis titillat, calefacit, inflammat. Propagatur ſubitò motus ad extrema uſque tubarum Fallopii, ſtringuntur fimbriæ, ovaria comprimunt, membranas lacerant, ova avellunt matura, truduntque in uterum lymphâ turgentem. Clauditur uterus, ovo ſemen occurrit, poros penetrat, nido vermiculus reponitur. Caleſcens utero lympha rareſcit, & per innumeros tenuitatis, atque ſubtilitatis gradus tranſiens, minutiſſimis pororum ovi oſculis abſorbetur, contentis motum fluidis impertit, membranas dilatat, vaſa inſenſibilia embryonis expandit. Tunc tenuiſſimus calix in placentam vertitur, uteroque applicatus adhæret. Creſcit in dies ovi moles, uteri cavitatem adauget, adimplet. Embryo carnis naturam nanciſcitur, è cujus medio funiculus umbilicalis dictus ſanguinem maternum à placentâ per venam in fœtum conducit, per arterias umbilicales reducendum, ut ipſi placentæ pabulum ſuppeditet. (g) Κατὰ δὲ μέσον τῆς σαρκὸς ὁ ὀμφαλὸς ἀπέχει, δι' οὗ αὔξησιν ἴσχει. (h) Καὶ αὔξεται ὑπὸ τῆς μητρὸς τοῦ αἵματος κατιόντος ἐπὶ τὰς μήτρας. Poſt hæc caro organiſatur, caput erigitur, extenduntur extremitates, corpus externam formam obtinet, ſingula proprium ſitum viſcera internè occupant, & oſſa conſolidantur à calore exſiccata. (i) Ἡ δὲ σὰρξ ἀρθροῦται, καὶ ἔρχεται ἐν ταύτῃ ἕκαστον ὅμοιον, ὡς τὸ ὅμοιον εἰς χώρην ἰδίην. (k) Καὶ τὰ ὀστέα σκληρύνεται ὑπὸ τῆς θέρμης πηγνύμενα. Καὶ δὴ καὶ διοζοῦται ὡς δένδρον. Hinc prima conſiſtentia in viro promptior, in fœminâ tardior. (l) Τὸ μὲν θῆλυ τὴν πρώτην πῆξιν, ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, καὶ δύο τὸ μακρότατον: τὸ δὲ ἄρσεν, ἐν τριήκοντα. Neque unico materno ſanguine fœtus nutritur. Lympham per poros chorii, & vaſa amnii tranſlatam, cui innatat, ſorbet, deglutit. Hinc inteſtina fœcibus, lotio veſica onerantur. Morâ hæc, & loci calore exaltata ſtimulant, fœtuſque, cui ſat nutrimenti genitrix non amplius ſubminiſtrat, ut egredi conetur, efficiunt. Fœtûs conatibus opitulantur violenta matris reſpiratio, uteri naturalis contractio, & viſcerum muſculorumque abdominalium motus, ut ruptis membranis effundatur aqua, & incarceratus infans excludatur, funiculo, membranis, & placentâ ſubſequentibus. (m) Τὸ παιδίον, ὁκόταν αὐξηθῇ, ζητέον πλείω τροφὴν τῆς παρεούσης, ἀσκα-

(c) Idem ibidem lib. 2. cap. 4. Ex igne aër, ex aëre aqua, ex aqua terra, & ex terra ignis.

(d) Ariſt. lib. de gene. & corrup. Quod alterat, & transfigurat, cauſa eſt generationis.

(e) Admirabile Dei opus.

(f) Hippocra. lib. de ſemine. Genitura viri, ex univerſo humido, quod in corpore continetur, proficiſcitur, ubi id, quod validiſſimum eſt, excernitur.

(g) Hipp. lib. de natura Pueri. Ex carnis medio umbilicus exrat per quem incrementum recipit.

(h) Idem ibidem. Sanguine à matre in uterum delapſo incrementum accipit.

(i) Idem ibidem. Caro autem diſcernitur, in eaque ſimile quodque ad id, quod ſibi ſimile fertur in proprium locum.

(k) Idem ibidem. Caloreque oſſa condenſata dureſcunt, ac ſanè adinſtar arboris in ramos etiam dividuntur.

(l) Hipp. lib. de natura pueri. Fœmina quidem primam concretionem duobus & quadraginta diebus, cum longiſſimè, mas verò triginta.

(m) Idem ibidem. Puer jam plenior factus requirens plùs alimenti, quàm adſit, ipſe ſeſe jactans, membranas diſrumpit, & diſſolutus à vinculo egreditur ſimul.

ϱῖζον ῥήγνυσι τὰς ὑμένας, καὶ λυθὲν τοῦ δεσμοῦ, χωρέει ὁμοῦ ἔξω. Expulſus puer mammarum genitricis lacte alitur, donec ſtomachus digerendo alio cibo compar, ex vegetabili, & animali regnis, unde creſcat, & augeatur excipiat & præparet. Quot hîc mutationes obſervandæ? fiunt tamen omnes juxta conſtantes leges naturæ, unico motûs auxilio. Hoc vermiculus vivificatur, & dein infusâ mente, in fœtum embryo, ille in infantem, puerum, juvenem, adoleſcentem, adultum, mutatur; ſolidorum, & fluidorum peraguntur munia, functionumque omnium exercitium integrum fit, & illibatum. Status hic ſanitas audit, integritati machinæ prorſus inimica, niſi fluidum nutritium, & plaſticum in auxilium ſubveniſſet, duram tandem ſenectutem inducturum. Moti humores in tenerrima impingunt vaſculorum extrema, pulpoſa, molliſſima; dividunt, radunt, avellunt, ſibique ita intimè permiſcent, & motu circulationis è corpore, quâ datâ portâ, amandant, gradariam machinæ corruptelam allaturi. Corruptioni igitur proclive corpus evadit. Ex cibo, potu, & aëre digeſtis chylus, ex chylo circulationis, & viſcerum motu plaſticus humor, & hinc vi vitæ ſpiritus compoſitus particulis nerveis, ſimplicibus, terreſtribus generatur. Unde dictum. (n) Καὶ λαβὼν χοῦν ἔπλασεν αὐτὸν, quaſi intelligendum daretur, ſummum rerum opificem, ex hiſce particulis hominem creaſſe, cùm ex his nervi, & ex nervis ſolida omnia enaſcantur. Spiritus jam dicto modo paratus, ad ſingula fertur corporis puncta, eodemque, quo deſtruuntur motu, renovat, & reſtaurat, dato cuilibet tanto, & tali, quantum, & quale abraſum fuerat. Hæc dum ita fiunt, vaſa majora particularum appoſitione elongantur, conſtanti in his contenti humoris pondere premunt minora, hæc obliterantur, & in fibras vertuntur. Hinc ſolidorum in fluida vis augetur activa, minuitur verò paſſiva, hoc eſt, diſpoſitio ad recipiendum humorem nutritium, unde macies gradaria, atrophia, ſenectus, & mors tandem ſenilis. Datum tumulo cadaver infinitis adhucdum ſubjicitur mutationibus pro mutatâ partium formâ, ac diſpoſitione. Unde ſequitur corpus humanum, uti alia quævis corpora, à generatione ad corruptionem tendere, dato tranſitu à ſanitate ad morbum.

(n) Et accipiens terram creavit illum. Teſt. Vet. Gen.

I I.

QUOD de ſingulis humani corporis partibus prædicari poteſt, idem de toto homine inde conflato verum erit; Quævis humani corporis pars mutata à ſtatu ſano tendit ad corruptionem; ergo & totus homo in ſanitate poſitus, ſi mutetur, tendit ad corruptionem. Partes autem corporis humani, fluida ſunt, & ſolida. Fluidorum ſanitas à quantitate proportionatâ, qualitate naturali, & motu debito pendet. Ubi primùm ab his deviant, fit tranſitus ad ſtatum morboſum.

Detur v. g. 1°. ſerum, & aquam augeri, cæteris in ſtatu priori remanentibus, cum hæc ſint mobiliora fluidorum, major erit velocitas totius maſſæ, unde particularum rarefactio, & attenuatio; hinc tenuiſſimis per ſecretiones abeuntibus, viſcida magis, minùs mobilis, verò pars craſſior, & tenax ſupererit, obſtructiones, concretiones, polypos datura. Sin verò pars hæc tenuior humorum in corpore retineatur, hydropes, aliaque innumera mala facilè concipitur productura. Detur 2°. Sal, & terram augeri, cæteris in ſtatu naturali permanentibus, cum hæc ſint minùs mobilia, tardior erit fluidorum progreſſus, orientur obſtructiones plurimæ, hinc inflammationes, ſuppurationes, abſceſſus, apoſtemata, ulcera, gan-

grænæ, ſphaceli. Detur 3°. augeri quantitatem olei, hoc circulatione ſibi conjunget ſalia acida, & terram, unde fluidi moleculæ denſiores evadunt, & nimis ſolidæ; vel volatilia arripit, & alcalina, unde fœtens, & putridum fit. Si primum, retardatur motus maſſæ totius, peritque promptitudo debita actionum vitalium, animalium, & naturalium. Hinc Scirrhi, cancri, gypſeæ concretiones, oſſificationes, calculi, & conſimilia. Si ſecundum, acceleratur fluidorum motus, diſſipatur pars tenuis, & aquoſa, unde febres putridæ. Si oleum hoc ita combuſtum, rancidum, alcalinum, fœtidum, in aliqua parte corporis niduletur, ſolida deſtruit, mutatque appellentia humida in materiam acrem, & alcalino-volatilem, hinc ulcera cacoethea, gangrænæ, ſphaceli. Detur 4°. mutari figuram particularum primariarum fluidi, vel harum ſoliditatem, raritatem, gravitatem, & levitatem, pro vario motu variabitur mutatio, variique producentur morbi.

Detur 5°. augeri quantitatem fluidi; hinc primò plethora, & dein augmentum diametri vaſorum, horum diſtenſio nimia, vis oſcillatoriæ ſolidorum imminutio, liquidorum ſtagnatio, rarefactio, vaſorum ruptio, fluidi per διαπήδησιν, & διαίρεσιν egreſſus, inflammationes, & quæ inde ſequuntur. Sin verò imminuitur fluidi quantitas, minutiſſima vaſa capillaria humore orbantur, collabuntur parietes, laxantur, nulla vel pauca fit nutritio, inde macies, atrophia, debilitas &c. Solidorum motus regularis, ac ſanitas alteratur, ſi requiſita vis augetur, vel imminuitur. Imminuitur autem, ſi nerveæ, ac terreſtres particulæ ſibi laxiùs hæreant, & in minorem veniant contactum; hinc quippe fit, ut fibræ ſimplices primariæ, membranæ, vaſa minora, majora inde, & ipſæ tandem partes organicæ, debiliora generentur, minùſque reſiſtant fluidorum impulſui, & contenta minori vi antrorſum agant; hinc facilis vaſorum repletio, humorum ſtagnatio, & partium ſolutio. Ubi verò ſtrictiùs ſibi ligantur partes primariæ, & in propiorem veniunt contactum, fibrarum, & inde enaſcentium partium elaſticitas major erit, erethiſmus oritur, contrahuntur nimis vaſa, exprimuntur eorum humores, exſiccantur, tendinoſa fiunt, & tandem atrophica.

Organicarum partium quæris exempla. Quamdiu appellens ad cerebrum, & cerebellum ſanguis, nec quantitate peccat, nec qualitate, ſecreti ſpiritus iis pollent dotibus, quæ requiruntur ad excitandos, & perficiendos motus omnes voluntarios, & involuntarios. Cerebrum, & cerebellum fruitur ſtatu ſanitatis. Verùm ubi primùm appellentis hùc ſanguinis motus vitiatur, peccare incipit, & qualitate, & quantitate; vitiantur quoque functiones ab hiſce organis pendentes. Cerebrum, & cerebellum in ſtatu morboſo concipitur. Ob eaſdem cauſas neque reſpirationem, neque αἱματοποίησιν, ut par eſt, pulmo peragit, neque cor circulationem, mixtionemque cruoris cum chylo. Lien ſanguinem non præparat pro ſecretione bilis. Hepar bilem naturalem non ſecernit. Pancreatis ſuccus vitiatur. Ventriculus cibum non digerit. Inteſtina hunc, in chylum non mutant, Meſenterium non attenuat, non diluit, non miſcet cum ſpiritibus, & lymphâ. Renes lotium non ſeparant. Veſica non retinet, nec expellit. Semen in genitalibus viri non rectè formatur: in fœminis τὰ καταμήνια vitiantur; conceptio, vel partus, ut decet, non perficitur. In hiſce omnibus caſibus migraſſe homo concipitur à ſanitate ad morbum; & in eo tranſitu quælibet dictarum partium ad corruptionem tendere. Quidni & idem dicatur de ipſo homine, dum à ſtatu ſanitatis tranſit ad morbum.

L I I.

CORPUS motum varia occupat puncta ſpatii, quod percurrit; hiſce diverſis punctis varia, & ſucceſſiva temporis momenta reſpondent. Solus Deus omnium creator, eſt primaria & efficiens cujuſlibet motûs cauſa. Corpora verò, non eodem modo, cuncta ad motum determinari videntur, ſed juxta quaſdam conſtantes, & immutabiles lèges. Bruta enim, inſtinctu, & appetitu ſpiritus animales ad hos vel illos muſculos impallentibus, moventur. (*a*) Πάντα δὲ φαίνεται τὰ ζῶα, καὶ ἔχοντα πνεῦμα σύμφυτον, καὶ ἰσχύοντα τούτῳ. In homine juxta voluntatem & nutum animæ rationalis, in varios liquidi nervoſi muſculos fit influxus, & liber partium motus. Inanimata verò vel ab aliis occurrentibus ſimilibus, vel ab animatis corporibus in motum cieri videntur. (*b*) Πάντα γὰρ ὑπ᾽ ἄλλου κινεῖται τὰ ἄψυχα. Ἀρχὴ δὲ πάντων τῶν οὕτως κινουμένων τὰ αὐτὰ αὐτὰ κινοῦντα. Ubi actio motoris ceſſat, corpus motum quieſcit. Ad motum igitur cauſæ moventis præſentia, mobile, locus, & tempus requiruntur. (*c*) Ἅπασα κίνησις ἐν χρόνῳ. (*d*) Ἔξω δεῖ τι εἶναι τοῦ σώματος ἀκίνητον, πρὸς ὃ ἀπερειδόμενον κινεῖται τὸ κινούμενον.

In corpore humano, mutationes innumeræ à generatione ad corruptionem uſque, & à ſanitate ad morbum fiunt, ſolo ſucceſſivo primariarum ſuæ materiæ particularum motu, per varia locorum puncta. Atomi pro concurſu, ordine, & varia diſpoſitione, unico motu mutandis, varia conſtituunt corpora. (*e*) Inde aliæ, atque aliæ ſimiles ex ordine partes.... agmine condenſo naturam corporis explent. In machina noſtra diſpoſitio, concurſus, & ordo primariarum particularum motu aliquando mutatur, ac variæ inde tam ſolidorum quam fluidorum figuræ ortum trahunt: quæ quamdiu remanent homogeneæ, creſcit & conſervatur machina; ubi heterogeneæ factæ ſunt, machinam à ſtatu naturali ad præternaturalem, mortem, corruptionem concipimus tranſiiſſe. Verùm non fiunt hæ mutationes ſine præcedentibus cauſis moventibus, loco, & tempore. (*f*) Αἱ δὲ πρῶται αὐξήσεις καὶ ἀλλοιώσεις, ὑπ᾽ ἄλλου γίνονται, καὶ δι᾽ ἑτέρων· προϋπάρχειν γὰρ δεῖ τὸ κινοῦν τοῦ κινουμένου, καὶ τὸ γεννῶν τοῦ γεννωμένου· αὐτὸ δὲ αὐτοῦ πρότερον οὐδὲν ἐστι. In ſanguine genitoris continentur exordia ſeminis, quin tamen verum ſemen dici poſſint: mutatur ſanguis motu ſucceſſivo, generatur ſemen, quod pro varia mutatione, varias adeptum figuras, motûs auxilio, tandem formâ corporis humani induitur. Idem de diverſis hujuſce machinæ partibus dici poteſt. Etenim fibroſæ & ſphœricæ ſanguinis particulæ, motæ, tritæ, diviſæ, propriam deponunt figuram, in lymphaticas vertuntur; hæ ulteriùs tritæ per innumeros tranſeunt mutationum gradus. Particulæ terreæ, ſimplices, & nerveæ quoque diſſolvuntur, aut colligantur plùs, minùſve quàm natura poſtulat, unde figuram, & naturalem diſpoſitionem mutari facilè intelligitur. Ex dictis ſequitur nullam in homine independenter à motu partium mutationem fieri, neque motum ſine ſucceſſione temporis, adeoque elabi momenta, in quibus pars aliqua figuram ſuam naturalem amittit, & fit morboſa. Exemplo περιπλευμονίης rem clariùs explicabo.

(*a*) Ariſto. lib. de motu anima. cap. 10. Omnia autem videntur animalia, cùm ſpiritum habere connatum, tùm ab illo robur capere.

(*b*) Ariſt. lib. de an. mo. cap. 4. Inanima namque omnia ab alio moventur, omnium autem ita motorum principium ſunt, quæ ſeipſa movent.

(*c*) Ariſt. de natu. auſculta. lib. 5. Omnis motus in tempore.

(*d*) Ariſ. de ani. mot. cap. 2. Extra ipſum corpus quippiam eſſe oportet immobile, ad quod innixum, quod motum eſt, movetur.

(*e*) Titu. Lucre. Car. de reru. natu. lib. 1.

(*f*) Ar. lib. de an. mo. cap. 5. Primæ autem augmentationes, & alterationes ab alio, & per alia fiunt: præcurrere enim debet motor id quod movetur, & genitum generans. Nil autem ſe ipſo eſt prius.

IV.

Ἡ περιπλευμονίη est inflammatio pulmonis in arteriis pulmonariis, bronchialibus, & vaſis lymphaticis. Hæc ex præternaturali motu & figura fluidorum, ac ſolidorum, ex quibus componitur, ortum ducit. Sanguis cordis dextri in arteriam ingreditur pulmonalem, particularum regularem motum conſervat, ad extrema cylindrica pervenit, diametrum majorem ſuarum particularum diametro invenit, tranſit ad venas pulmonales, cor ſiniſtrum, arteriam aortam, & ſuam *cyclophorian*, nullo dato obice, peragit; nec inflammatur pulmo. Sin verò augeatur naturalis motus, ante tranſitum ſanguinis contenti in extremitatibus conicis, ac cylindricis capillarium arteriarum pulmonis, ſuperveniet ſucceſſivè æqua quantitas: remanebunt coacervatæ particulæ, & coguntur præter ordinem moveri. Undè diviſæ, ſectæ, auctis ſuperficiebus, rareſiunt, attenuantur, dilatant vaſa continentia, rumpunt illa, extravaſantur, interſtitia occupant, ſtagnant; oritur inflammatio. Si autem à motu & calore circumjacentium partium, calefactæ moveantur, diſſolvantur, ſalia alcalina, olea rancido-alcalino-fœtida reddant, putreſcunt, corrodunt ſolida, mutantque in purulentam, fœtidam, & nidoroſam materiam, excitant febres lentas, & putridas, tuſſim ſiccam, dyſpnœam, oritur abſceſſus, & vomica pulmonis. (a) Ὅταν ἐκ περιπλευμονίης ἔμπυος γένηται, πυρετὸς ἴσχει, καὶ βὴξ ξηρὴ, καὶ δύσπνοίη, καὶ οἱ πόδες οἰδέουσι, καὶ οἱ ὄνυχες ἕλκονται τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν. Sin verò hæ particulæ condenſentur, coagulentur, exſiccentur; evaporatur pars aquea, & ſpirituoſa, remanet ſola terreſtris, & ſalina acido-muriatica, obſtruuntur partes cylindricæ capillarium arteriarum, & ſæpe ipſa lateralia lymphatica vaſa, unde ne libera fiat tranſmigratio ſanguinis, à dextro ad ſiniſtrum ventriculum cordis, impedimento eſt. Inflammatio, ac ſuppuratio pulmonis oritur. Sin è contra diminuitur naturalis motus particularum, ad extrema cylindrica debito non perveniunt impetu, ſtagnant in extremis conicis, ſubjiciuntur aliis mutationibus, in pus vertuntur. Περιπλευμονίη ortum trahit. Sanguis ingreſſus arteriam pulmonalem, conſervatâ particularum naturali figurâ, tranſit ad venas, & circulationem peragit. Sin verò particulæ diametrum majorem diametris vaſorum, per quæ tranſmittendæ ſunt, nanciſcantur, ſtagnant, corrumpuntur. Oriturque Περιπλευμονίη. Solida ſi naturalem motum figuramque conſervant, Pulmo non inflammatur. Sin verò quâcumque cauſâ, partes cylindricæ, extremaque conica arteriarum corrugentur, contrahantur, appropinquentur invicem lineæ parietum, parallelæ quaſi factæ cum ipſomet axe, capacitas, diameterque diminuitur; hinc licet ſanguis naturalem figuram retineat, perveniens tandem ad hæc, ſtagnat, diſſolvitur, in pus mutatur, cùm tranſire haud valeat. Περιπλευμονίη oritur. Ex hiſce igitur, Pulmonem à ſanitate ad morbum dato motu materiei, quæ illum conſtituit, in variis ſucceſſivè punctis loci, in quo movetur, migraſſe concipimus. Sed quoniam in hoc motu mutat figuram materies, nec moveri poteſt ſine ſucceſſivis momentis temporis, datur quoque illud momentum quod finem amiſſæ naturalis figuræ, à principio præternaturalis comparatæ ſeparat, ac diſtinguit. Hoc momentum eſt id, quod intercedit ſanum inter & morboſum pulmonem, inter il-

(a) Hipp. Co. de morbis lib. 2. Cùm ex pulmonis inflammatione purulentus extiterit, febris vexat, tuſſis ſicca, difficultas ſpirandi, pedes intumeſcunt, & manuum, ac pedum ungues contrahuntur.

lius naturalem, & præternaturalem ſtatum; verbò, hoc eſt illud, quòd ſtatus medius ſanitatem inter & morbum rectè meretur appellari.

V.

EX hactenus explicatis deducitur corpora ad corruptionem tendere, quando motu ſolo materies, ex qua conflata ſunt, naturalem figuram amittit, & præternaturalem nanciſcitur. Corpus quoque humanum, generationem inter & corruptionem, ſanitatem & morbum infinitis, ut ita dicam, mutationibus ſubjicitur, quæ unico motu materiei, unde componitur, fiunt, dum novas induit formas, quibus creſcit, & conſervatur machina, ſi homogeneæ; tranſit à ſanitate ad morbum, corruptionem, & mortem, ſi heterogeneæ ſint. Ex motu mutationes, nec motum ſine cauſa movente, materie motâ, loco, & inſeparabili tempore, in quo movetur, dari concipimus. Sæpe materies μικροκόσμε mutat ſuam naturalem in præternaturalem figuram, dum motu, ab uno tranſit ad aliud punctum ſpatii, quod percurrit. Sed cum nullus motus ſine tempore, ſequitur tranſiiſſe illud temporis momentum, quod finem naturalis, à principio præternaturalis formæ diſtinguit, ac ſeparat: hoc ipſum momentum, medium quid inter hanc & illam facilè concipitur eſſe, eſt enim extremitas præteritæ naturalis figuræ, in quâ nil præſens futuræ invenitur, & principium, aut extremitas futuræ, in quâ nil præteritæ formæ remanet. (*a*) Τὸ δὲ νῦν ἐςι ἔσχατον τὶ τȣ̃ γεγονότος, ȣ̃ ἐπὶ τάδε ȣ̓θὲν ἐςι τȣ̃ μέλλοντος, καὶ πάλλιν τȣ μέλλοντος, ȣ̃ ἐπὶ τάδε ȣ̓θεν ἐςὶ τȣ̃ γεγονότος. Cum verò hi tranſitus à ſanâ, & naturali figurâ ad morboſam & præternaturalem, ſunt idem, ac tranſitus à ſanitatis ſtatu ad morbum, affirmativè concludere poſſumus, dari momentum temporis, quod diſtinguit, ſejungitque ſtatum ſalutis à morbo, & inter hunc, & illam medius, ac neutralitatis ſtatus meretur rectè appellari. Devii à vera ratione videntur, qui ſtatum neutrum, temperantiam inter ſanitatem & morbum, aptam potentiâ ad morbos ſuſcipiendos autumant eſſe. Proponunt verò exemplum convaleſcentiæ, & tepiditatis aquæ. Illam nec ſanitatem, nec morbum, ſed mediam quamdam temperantiam ad ſalutem, vel recidivam ſuſcipiendam: hanc autem nec caliditatem, nec frigiditatem, ſed intermediam temperantiam aſſerunt eſſe. His objectionibus rectum ratiocinium contrarium eſt. Verùm enim verò hæc temperatura materiam corporis occupare neceſſum eſt: (nam extrà materiam exiſtere abſurdum videtur;) at hæc materies vel figurata eſt formis humano corpori homogeneis, & tunc ſana; vel heterogeneis, & tunc morboſa habetur. Igitur dicta temperatura apta ad morbum ſuſcipiendum, eſt quid chimæricum, non verò ſtatus medius inter morbum & ſanitatem. Exemplum autem convaleſcentiæ nil demonſtrat. Nam hæc convaleſcentia apta dicta temperatura ad ſanitatem, aut recidivam ſuſcipiendam, hæret in corporis aliquâ materie, quæ ſi homogeneè noſtro corpori figurata eſt, ſana; ſi heterogeneè, morboſa exiſtimatur. Igitur exemplum malè applicatum. Et, (*b*) Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νȣ́σῃσι μετὰ κρίσιν, ὑποςροφὰς ποιέειν ἔιωθεν, haud defendere valet abſurdum exemplum. Nam quidquid per criſes evacuandum, poſt criſin derelinquitur, illud noſtro corpori figuris heterogeneis onuſtum eſt, ideoque ſolet recidivas efficere. Exemplum quoque tepiditatis aquæ diſſonum rationi videtur: etenim hæc conſiſtit in aquæ materiâ, cujus ſi una

(*a*) Ariſ. natu. auſcul. lib. 4. tract. 3. de temp. Momentum eſt extremum quid facti, in quo nil eſt futuri, & iterum futuri, in quo nil eſt facti.

(*b*) Hipp. Co. Apho. lib. 2. ſec 2. Quæ per morbos poſt judicationem intus relinquuntur, morborum reverſiones facere conſueverunt.

pars ita movetur, disponitur, ac figuratur, ut initium caloris efficiat, altera verò frigiditatis statum retineat, oritur tepiditas, & per consequens exemplum malè applicatum. Nostra igitur conclusio cæteris præcellere videtur.

Ergò sanitatem inter & morbum datur status medius.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michael-Philippus Bouvart.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.

M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hispaniarum Reginæ Medicus perpetuò ordinarius, & Chirurgiæ Professor.

M. Franciscus-Felicitas Cochu, Scholarum Professor designatus.

M. Franciscus Mery.

M. Joannes-Baptista-Thomas Martinenq, Omnium & Singularum Artis Partium Professor Antiquus.

M. Henricus-Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor.

M. Guillelmus-Josephus de l'Epine.

M. Michaël-Procope Couteaux, Scholarum Professor.

Proponebat Parisiis M. DIAMANTES ULASTUS, Patricius Constantinopolitanus, Doctor Medicus Pataviensis, & EXCELLENTISSIMI, à SUMMO TURCARUM IMPERATORE, LEGATI Medicus, A. R. S. H. 1742, ab octavâ ad meridiem.

PRO SOLEMNI COOPTATIONIS EXTRANEÆ LAUREÂ.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.